

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris  
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,  
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,  
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter  
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad  
proxim accommodatas

**Archdekin, Richard**

**Antverpiæ, 1682**

Caput 10. De Commodato, Depositio, Mutuo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40873**

496 Pars 3. tr. 5. cap. 9. De Donatione & Promissiōnē  
bus parentes omnia donarunt. *Leff. Sylv. Trul.*  
*Bonacina.*

2. Si donans caruerit liberis , & postea ei  
proles nascatur : hæc enim conditio inest do-  
nationi , ex dispositione juris , uti notat *Diana*,  
*Sa. &c.*

3. Si donatio fuit talis ut filii omnino priven-  
tur legitimā portione , possunt eam , etiam ipsi  
filii revocare. *Nauar. Leff. Diana.*

10. Simplicem promissionem rei notabilis,  
etiamsi à promissario acceptatam , per se non  
obligare sub mortali docet *Cajet. & quidam alii.*  
Probabilior tamen videtur contraria opinio  
quā tenet *Malder. Vasq. Fil. &c.* si quis veram  
promissionem serio expresserit , & non solum  
propositum aliquid praestandi.

11. In foro tamen externo ut judicetur seria  
& valida promissio, ultra acceptationem requi-  
ritur ut exprimatur causa propter quam facta  
fuerit promissio , ut tradit *Covar. Villa. Trul. l.7.*  
*c. 16. d. 6.*

Plura de promissione & donatione colligun-  
tur ex dictis suprà de devoto , & infra de te-  
stamento.

## C A P U T X.

*De commodato , deposito , mutuo.*

1. **C**ommmodatum est contractus , quo res  
aliqua quoad solum usum , pro certo  
tempore , & gratuitò conceditur.

2. Depositum , est quod traditur custodiendū , ut integrum restituatur.

3. Mutuum ab utroque differt in eo , quod  
transferatur in aliud dominium illius rei quæ  
mutuo

Pars 3. tract. 5. cap. 10. De commodato, &c. 427  
mutuo datur, non item in illis quæ dantur per  
modum depositi vel commodati.

4. Ante tempus definitum commodator rem  
commodatam repeteret non potest sine injusti-  
tia. Si tamen ex eo, quod re suâ careat, illi  
damnum impendeat, potest eam ante tempus  
repeteret, quamvis inde damnum æquè magnum  
impenderet commodatario. Quia (ut ait Na-  
var.) in commendatione hæc tacita involvitur  
conditio: nisi interea contingat rem esse ne-  
cessariam commodanti.

5. Re depositâ licitum est uti, quando de-  
positorius bonâ fide existimat depositori id non  
displicitur, aliâs absque usu servari debet.

6. Si res commodata, vel deposita perierit,  
probabile est depositarium teneri tantum in ca-  
su quo dolus, aut culpa crassa dolo æquivalens  
intervenerit: *Lef. Layman.*

Excipe tamen sartores, moltores, aliosque  
artifices, quibus res traditur expolienda, uti  
etiam nautas & aurigas, qui ex leviculpa ob-  
ligantur. Quia etiam in eorum communione res  
alienæ illis traduntur. *Sylv. Lef. &c.*

7. Si depositarius aut commodatarius dubi-  
tet, an commendatum sive depositum perierit  
suâ culpâ, non tenetur, in foro saltem inter-  
no, ad restitutionem. Quia in dubio non præ-  
sumitur delictum, ita *Sanch. de Matrim. l. 2. d.*  
*41. num. 18. &c.*

8. Dolus tamen præsumitur in foro externo,  
nisi depositum casu sic periisse probetur, ut si-  
mul cum rebus depositarii servari non potuerit,  
quod fieri potest. v. g. imminente naufragio  
aut incendio, quo casu depositarius non tene-  
retur rem alienam præ sua servare.

9. Si quis depositum domino reposcenti re-  
miserit

498 Pars 3. tract. 5 cap. 10. De commodato, &c.  
miserit per hominem, qui vulgo fidus audiebat, isque sibi retinuerit, vel perdiderit, rem domino periisse censet Molina apud Escobar, &c.

10. Mutuans ad damnum sarcendum obligatur in conscientia, si de rei vitio mutuatarium non monuerit.

Item nisi par necessitas urgeat, rem mutuatam ante tempus repetere non potest.

11. Tenetur mutuarius praestare casum fortuitum mutuo evenientem, cum penes eum rei dominium sit, & in eadem qualitate, & quantitate eam suo tempore reddere debeat.

Non licet in vero mutuo, ullum lucrum accipere, quia esset usura, ut cap. seq. magis patet.

12. Mutuum distinguitur a pignore, hypotheca, & locato, quod in his dominium rei in alterum non transferatur cui ea oppignoratur, sed tantum usus, ut diximus de commodato & deposito, in mutuo autem cum usu dominium transfertur. Bonac. d. 3. q. 3. p. 1. &c.

## C A P U T X I.

### De Usura.

1. **U**sura est lucrum ex mutuo: tale lucrum supra summam capitalem praeceps ratione mutui exigitur. Hoc autem iniquum est, exigere lucrum pro re mutuata, quæ non est amplius tua, sed aliena; quia rei mutuatæ dominium transfertur in eum, qui mutuum accepit.

2. Usura non est, si nihil ut pretium mutuans intendat, sed ex gratitudine tantum aliquid speret, & eâ intentione illi aliquid donecatur,